



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De quidditate veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)



LIBER DECIMVS ET VLTIMVS.

DE QVIDDITATE, INCOMPOSSIBILITATE cum falsitate, & variis speciebus veritatis.



TRACTATVS I.

De quidditate veritatis.

CAPVT I.

An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum scientia Diuina?

I  **VIDAM** Neoterici affirmant, his argumentis adducti: Veritas in essendo, transcendentalis vocari solita, consistit in conformitate cum intellectu diuino, vt docent B. Thomas, Suarez, Molina, Valentia, Fonseca, Lessius, & alij communiter auctores: ergo & veritas in representando, siue formalis. Explicatur: quando res ita se habet, sicut Deus iudicat, est verè talis res, habetque veritatem transcendentalem hominis, aut equi aliamve similem: quando igitur cognitio nostra ita diiudicat de re, sicut intellectus diuinus, ea erit formaliter vera. Secundò: conformitas nostræ voluntatis cum diuina est eius bonitas moralis: similiter ergo in præsenti, &c.

2 Tercio: omnis res habet veritatem, ac rectitudinem à conformitate cum sua mensura propria, sed scientia diuina est prima veritas in representando: ergo est mensura omnis veritatis in representando: vt enim ait Aristoteles 10. metaph. cap. 1. primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum: proinde cognitio nostra veritatem habet formalem, siue in representando à scientia diuina. Quarto: res omnis finita dicitur extrinsece possibilis ab omnipotentia Dei: quidni ergo extrinsece vera à veritate diuinæ scientiæ? actus igitur intellectus nostri hoc ipso, quod sit conformis diuinæ scientiæ representat rem, sicuti est verè in sese: eo igitur ipso, quod sit ita conformis, est formaliter verus.

3 Quinto, ac paulo aliter. Res omnes creatæ sunt transcendentaliter veræ per actum diuinæ scientiæ: Idcirco namque (inquit Anselmus in dialogo de verit. cap. 11.) verè præteritum dicitur esse aliquid, quia ita est in re: & ideo est aliquid præteritum, quia sic est in veritate summa: Et ibid. paulo supra; non est vera oratio, quæ dicit futurum esse aliud, nisi re ipsa sit aliquid futurum; neque aliquid est futurum, si non

fit in summa veritate. Hæc ille; quod si res dicuntur verè præterita, & futura per actum diuini intellectus, cur non & verè existentes? vbi ergo actus noster dicatur formaliter verus per conformitatem cum veritate obiectiua, & transcendentali, necessum est, vt talis dicatur ex eo, quod sit conformis diuinæ scientiæ: haud ergo per conformitatem cum obiecto secundum se præcisè constituitur veritas nostra formalis, sed potius cum eo proptèr à Deo verè cognito. Sexto tandem: actus, quo affirmo Petrum exiturum, nunc est verus, vt videtur, per se, ac sponte sua manifestum: nunc igitur est omne constitutum illius veritatis: at nondum est existentia obiecti videlicet Petri: non ergo hæc, sed potius diuina scientia nunquam non existens talem constituit veritatem: quod si veritas, qua de loquimur, esset conformitas cum obiecto, eiusque existentia, & non cum scientia Dei, aliter se res haberet.

4 Verum acquiescere non possum in hac sententia: eamque in primis impugno autoritate multiplici: atque vt ordiar ab Aristotele, sic habet lib. 1. de interpret. cap. 8. *nam si verè quispiam dicit hoc album, aut non album esse, necesse est album, aut non album esse: et si est album, aut non album, verum utique dicit affirmando, aut negando: et si omnino non est, falsum dicit, & si falsum dicit, non est.* Ac ibidem infra; *si verè quispiam dicit album quippiam esse simile, & magnum, necesse est esse vtrumque, & si verè dicit cras fore, oportet illud cras fore.* Et in prædicam. cap. de substant. text. 10. ad finem, *ex eo quod, res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* Plato quoque sic loquitur in Parmenide; *habere seipsum oportet eo modo, quo diximus: nisi enim sic se haberet, haudquaquam vere diceremus, dum vnum non esse fatemur: sin autem vera, manifestum est, quod ea, quæ sunt, proferimus: Nonne? sic est: cum verò nos vera prædicare dixerimus, necesse est, vt ea, quæ sunt, asserere profiteamur: Et in Sophista; sermo mendax eadem ratione censetur, qui videlicet ea, quæ non sunt esse, & contra quæ sunt non esse pronuntiat: Et in Euthidemo; quicumque quod est, quædè sunt dicit, vera dicit: quamobrem Diorsiodorus, si quæ sunt dicit, vera prædicat, neque quicquam aduersus se mentitur. Et in Cratilo; illa verò oratio, quæ existentia dicit, vt existunt, vera est, quæ vt non existunt, falsa.* Accedit Anselmus Dial. de veritate cap. 3. *cogitationem quoque dicimus veram, cum est quod, aut ratione aut aliquomodo putamus esse, & falsum, cum non est.* Et paulo infra: *quapropter, qui putat esse quod est, putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio: si igitur vera, & recta est cogitatio, non ob aliud, quam quia*

quia putamus esse quod est, aut non esse quod non est, non est aliud eius veritas, quam reſtitudo. Ac denique Augustinus sic ait lib. de vera relig. cap. 36. Cui manifestum est falsitatem esse, qua id putatur esse, quod non est, intelligit eam esse veritatem, qua ostendit id, quod est. Ecce hi omnes veritatem formalem explicant per conformitatem actus nostri cum obiecto, & re ipsa nulla diuinæ scientiæ mentione habita. Ita etiam de veritate sentiunt Thomistæ, Scotistæ, Nominales, & cum his authores nostri, atque, vt semel dicam, omnes quorum scripta prælo mandata viderim.

5 Rursus secundo confutatur eadem opinio: siquidem diuina scientia potest, ac debet dici formaliter vera per conformitatem immediatam cum ipso obiecto: haud enim est alia scientia superior, vnde veritatem suam emendicet: quidni ergo nostra per similem duntaxat conformitatem sit vera? Tertio: diuina scientia haud dicitur vera per conformitatem cum nostra, vt aduersariis est in confesso: non est ergo, quapropter ea, quæ nobis inest, veritatem hauriat ab ea, qua Deus cognoscit. Nec vero est excusare hic perfectionem diuinæ scientiæ: quantumvis enim sit perfecta, dicitur tamen vera per denominationem ab obiecto ipso: quidni ergo & per scientiam nostram, quæ obiectum à Deo cognitum perfectionis gradu interdum antecellit? item ea, quantacunque sit dignitatis, & excellentiæ, subit denominationes extrinsecas, & prædicamentales similes, maioris prioris, & alias id genus respectu scientiæ nostræ, & eas ab illa quodammodo accipit: ergo & quod sit vera, vbi semel veritas definiri possit per conformitatem cum scientia, & non cum obiecto solo.

6 Quarto tandem à priori. Debet constitui veritas per connexionem primariam actus cum obiecto ita se habente, sicut cognoscitur: Inde est connexionem talem, quoties est essentialis, & actui prorsus eadem, semper esse veritatem, quia videlicet est primaria. Exinde etiam est, coexistentiam ipsius actus, & obiecti ea ratione, qua representatur, siue aggregatum vtriusque esse veritatem, quia similiter est per se loquendo primaria connectio: licet enim aliquando supponat re ipsa connexionem essentialem, hoc tamen est per accidens ipsi, & etiam si non supponeretur, daretur nihilominus, sicut in aliis actibus, non essentialiter, sed partim intrinsecè, partim extrinsecè veris, vsuuenit. Cæterum ea supposita doctrina, fieri nequit, vt conformitas cum diuina scientia, ac relatio eam importans constituat veritatem nostræ cognitionis: quamvis enim sit connectio quædam eius cum obiecto prout à nobis cognito, eoque illius statu, qui per actum nostrum affirmatur; non tamen primaria, sed secundaria: ac proinde per se supponens: semper enim prius est ratione nostra, obiectum ita esse, quam verè sciri à Deo, ideoque ab eius intellectu scitur, quia est, & non è conuerso, de quo latius tract. 4. at obiectum ita esse, facit connexionem quandam actus secum ipso prout ita se habente, & proportionem illam, ac rectitudinem, quam appellamus veritatem: conformitas ergo cum diuina scientia haud est connectio, ac proportio actus, & obiecti primaria, sed secundaria: ac proinde nequit esse veritas.

7 Et quidem, si hæc posset constitui per connexionem secundariam nostri actus cum obiecto, eiusque statu per actum affirmato, ac representato, essent in quouis actu nostro infinitæ veritates formales: Nam v.g. cum affirmo Petrum currere, actus meus connectitur secundariò cum obiecto, nimirum cursu

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

Petri, per diuinam scientiam: deinde per similitudinem, & coexistentiam cursus Pauli: rursum per eam, qua coexistit cursui Ioannis: vltèrius, & Ignatij: & sic per infinitas alias relationes prædicamentales, quas obiectum præfati actus subit, & ex quarum hypothesi non potest non esse eo temporis articulo, pro quo à me esse cognoscitur, & affirmatur. Aut aliter: actus ille verus erit per conformitatem cum cognitione vera Petri de eodem obiecto, & per conformitatem etiam cum cognitione vera Ioannis de illo, & sic in immensum. Quid autem hac numerositate, vel, vt rectius dixerim, innumerabilitate veritatum formalium realiter distinctarum in eodem actu fingi potest magis portentosum, & absurdum?

8 Ad primum argumentum contrarium dicendum est, in primis res haud dici veras transcendentaliter per conformitatem cum intellectu diuino solo, sed etiam cum creato intellectu: per prius, vt aiunt, respectu illius, & per posterius intuitu huius. Nec aliud volunt authores in argumento obiecti: præsertim verò B. Thomas quæst. 1. de verit. art. 2. corp. vbi sic ait: res ergo naturalis inter duos intellectus constituta secundum adæquationem ad verumque vera dicitur: secundum enim adæquationem ad intellectum diuinum dicitur vera in quantum implet hoc, ad quod est ordinata per intellectum diuinum, vt patet per Anselmum in lib. de vero, & Augustinum in lib. de vera religione, & per Auicennam in definitione inducenda, scilicet veritas cuiusque rei, &c. secundum autem adæquationem ad intellectum humanum dicitur res vera, in quantum nata est de se formare veram estimationem, sicut è contrariis falsæ dicuntur, quæ nata sunt videri, quæ non sunt, aut qualia non sunt, vt dicitur in 5. met. Prima autem ratio veritatis per prius inest rei, quam secunda, quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quam ad humanum, vnde etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur veræ in ordine ad intellectum diuinum: sed si vterque intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret. Et art. 4. corpore idem tradit: per prius, inquiens, inest rei veritas per comparisonem ad intellectum diuinum, quam humanum, cum ad intellectum diuinum comparatur quasi ad causam, ad humanum autem quodammodo quasi ad effectum, in quantum intellectus à rebus scientiam accipit. Quæ cum ita sint, si licet arguere à veritate transcendentali ad formalem nostram, hæc haud constitueretur per conformitatem cum solo intellectu, & scientia Dei, verum etiam per convenientiam cum cognitione creata: quod tamen quam absurdum sit, & quam coniunctum cum infinitudine reali veritatum in eodem actu, superius ostensum.

9 Secundo respondeo, rationem discriminis inter veritatem transcendentalem, & formalem esse manifestam. Nam omnis res creata cognoscitur necessario sicuti est ab intellectu diuino, estque eius obiectum: proinde non est, cur non sit obiectiue, ac transcendentaliter vera per respectum ad illum: id siquidem genus veritatis situm est in ratione obiecti, siue cogniti, aut cognoscibilis, sicuti quidpiam est in se. At non omnis actus intellectus nostri habet pro obiecto scientiam diuinam, illamvè cognoscit: quocirca haud est, quod sit vera formaliter per ordinem ad illam: talis enim veritas posita est in representatione rei sicuti est, siue per relationem ad illam ita se habentem quemadmodum representatur. Et quidem miror, aduersarios exigere veritatem formalem ad normam transcenden-

Hh talis

talis, cum tam dispar sit vtriusque conditio. Quamobrem sic argumentum contrarium retorqueo: veritas transcendentalis consistit in conformitate cum actu aliquo humani, aut certe diuini intellectus: at veritas transcendentalis opponitur suapte natura veritati formali: hæc ergo haud est collocanda in conformitate cum actu aliquo, sed potius cum suo obiecto.

10 Ad secundum argumentum contrarium respondeo, actum voluntatis nostræ dici etiam moraliter bonum propter conformitatem cum suo obiecto, quod videlicet nobis proponitur, ut rationi consonum. Eius autem actus conformitatem cum diuina voluntate esse tantum arguitur bonitatem moralem: quia nimirum hoc ipso, quod Deus optimus maximus velit aliquod obiectum, signo esse potest, illud esse moraliter bonum, atque adeo moralem bonitatem nostrum in actum refundere.

11 Ad tertium respondeo, actum nostrum dici verum formaliter à sua mensura intrinseca, quam videlicet intrinsecè, & essentialiter respicit, atque cognoscit iuxta dictum Aristotelis superius laudatum; ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa: secus verò à mensura extrinseca, hoc est ea, ad cuius imitationem efficitur, & habet esse. Atqui solum obiectum priori modo mensurat veritatem nostrorum actuum, & veritas diuinæ scientiæ tantum posteriori. Quid mirum ergo, si non ab hac, sed ab illo actus nostri denominentur veri?

12 Ad quartum respondeo. Quemadmodum res dicitur formaliter possibilis ab omnipotentia Dei, ita etiam ea dicitur extrinsecè, & formaliter vera per denominationem à scientia Dei. Hæc siquidem habet veritatem formalem à relatione ad obiectum, eamque postea refundit in ipsum: quo fermè pacto iuxta dicta superius lib. 8. tract. 5. cap. 2. cognitio nostra reicit in obiectum multiplex formaliter, & fundamentaliter vnum, vnitatem formalem ab eo acceptam, illudque extrinsecè vnum, siue vniuersale denominat. Eademque ratione, ut ibi declaratum est, actus voluntatis bonitatem formalem, quam sortitur à bonitate radicali rei à se volitæ in hanc pro posteriori signo remittit, eamque extrinsecè bonam, & meritoriam constituit. Hæc cum ita sint, cognitio nostra haud dicitur vera per conformitatem cum obiecto se habente verè formaliter, & extrinsecè, qua tantum ratione inuoluit scientiam diuinam, ac proinde non per conuenientiam cum ista: tantum ergo est vera, quia conformis veritati obiectiæ fundamentalis, seu transcendentali, quæ quidem actum diuinæ scientiæ, ut connotet extrinsecè, non tamen intrinsecè, & essentialiter includit.

13 Ad quintum similiter respondeo, Anselmum hoc solum velle, actum diuinæ scientiæ intimè claudi in veritate formali extrinseca rerum à nobis cognitarum, non verò in earum veritate obiectiua: quocirca conformitas cum huiusmodi posteriori veritate haud est conformitas cum diuina scientia: talis ergo non est actuum nostrorum veritas formalis: hæc ergo perperam definitur ab aduersariis. Ad postremum respondeo, actum nostrum de obiecto non existente dici nunc verum, quia magis principalis pars veritatis nunc existit, videlicet entitas actus, non verò, quod in præsens tota veritas existat: proinde non est, quamobrem scientia diuina semper præsens, ac nunquam non existens eam constituere debeat. Adice, tamen si veritas sit conformitas actus duntaxat cum obiecto, non propterea fore, ut hoc

illam intrinsecè constituat, satisque esse, ut eam extrinsece terminet, videlicet, si relatio ea conformitatis, ac veritas per illam definita sit actui omnino intrinseca, & essentialis: ea certè ex hypothese actus de obiecto non existenti, quin constituitur per scientiam diuinam, aut conformitatem cum illa habet tamen ex se nunc temporis totam veritatis suæ essentiam, & integritatem.

CAPVT II.

An veritas sit conformitas nostra cognitionis cum re cognita, an verò huius se cum ipsa prout est extrà intellectum?

14 Non pauci in ea sententia sunt, ut existiment, veritatem formalem, ac rectitudinem intellectus nostri, quoties sine errore cognoscit, esse conformitatem, non cognitionis nostræ cum re cognita, sed conceptus obiectiui, ac repræsentati cum conceptu physico, reique statu, quem habet extra intellectum: ac propterea hunc verè cognoscere, quia talis est res in eo intentionaliter, qualis est physice, & extra illum. Ita Durandus in 1. diff. 19. quæst. 5. num. 13. Herueus quodlib. 3. quæst. 1. art. 2. & 3. Henricus in summa art. 34. quæst. 5. Iandunus 6. metaph. quæst. 2. Valquez tom. 1. in 1. part. quæst. 16. art. 2. disput. 76. cap. 1. Muria in log. disp. 3. Perihermen. quæst. 1. Iauellus 6. metaph. quæst. 13. & Flandria q. 23.

15 Porro autem huius sententiæ fundamenta sic habent. Cognitio multoties est spiritalis, & eius obiectum materiale, illa qualitas, hoc substantia, illa existens, hoc in abyssu nihili reconditum, ac nondum in lucem rerum existentium productum. Veritas ergo formalis haud est sita in eo, quod cognitio sit talis, quale est obiectum, cum potius diffideant inuicem toto celo: consistit ergo in conformitate conceptus obiectiui, seu repræsentati cum physico, & extrario. Rursus secundo: cognitio nostra denominatur vera, quia repræsentat obiectum verum: nam Aristoteles definit propositionem hunc in modum: *est oratio verum, vel falsum significans*: veritas ergo formalis, & propria est in conceptu obiectiui, & repræsentato primario, & per se, & non nisi per denominationem ab illo, & secundo in cognitione nostra: haud ergo est huius, sed potius illius conformitas cum re, quæ est extra animam, eiusque esse physico.

16 Tertio, & eodem redit: illud est propriè, & primariè verum, quod significatur enuntiatione vocali vera: quemadmodum enim color dicitur sanus, quia est signum sanitatis, ita voces denominantur quodammodo veræ, quia verum, quod strictè, & principaliter est tale repræsentant, ac significant: at voces sunt signa conceptuum obiectiuorum, siue rerum cognitarum, non verò cognitionum duntaxat: haud ergo in his, sed potius in illis propriè, & principaliter est veritas formalis, adeoque est definienda per conformitatem, non actuum cum obiectis, sed obiectorum secum ipsis in diuerso statu.

Contraria tamen sententia, nimirum veritatem omnem esse conformitatem cognitionis cum re cognita, adeoque non in hac, sed in illa primario consistere, tuentur B. Thom. lib. 1. de interpret. lect. 3. & 1. part. quæst. 16. art. 1. 2. & 8. Caietanus ibid. art. 2. Ferrariens. 1. contra gentes cap. 59. & 60. Egil. quodlib. 4. quæst. 7. Soncinas 6. metaph. quæst. 17. Albertus

Albertus Magnus tract. 2. de interpret. cap. 2. Ex nostris Suarez disput. 8. metaph. sect. 1. Cardin. Tole- tus in log. lib. 1. Perihierm. cap. 2. quæst. 2. Rub. lib. 1. post cap. 2. quæst. 2. num. 9. Hurtadus de anima dis- put. 9. sect. 1. Tellez part. 1. in logicam disp. 11. sect. 2. Arriaga disput. 14. log. sect. 1. num. 2. Compton. disput. 44. log. sect. 1. num. 4. & alij quibus sub- scribo.

17 Principio namque, si veritas non esset conformi- tas cognitionis cum re ipsa, sed conceptus obiectiui, & representati cum physico, & reali, sola res cogni- ta provt talis diceretur primario, ac proprie vera, ac tantum per denominationem ab ea, & secundario vera esset cognitio nostra. At hoc, quod aduerfa- riis omnibus est in confesso, quodque eorum placi- to indissociabili consequentia inferitur, est aperte falsum. Siquidem ita si res haberet, perperam di- xisset Aristoteles: *ab eo, quod res est, vel non est pro- positio dicitur vera vel falsa*; potiusque debuisset aie- re: *ab eo, quod res est vera, vel falsa propositio deno- minatur vera, vel falsa*; vt optime expendunt B. Tho- mas, & Suarez. Deinde, non actio exterior, sed po- tius voluntatis nostræ interior motus dicitur pri- mario, & proprie bonus in genere moris, laudabilis- que, ac meritorius. Similiter ergo in præsen- ti, &c.

18 Secundo suadetur nostra sententia: quoniam imago Cæsaris, v.g. est vera, quia ipsa est confor- mis prototypo suo, non verò ob id, quod esse ali- quod representatum Cæsaris, ab eo distinctum quodammodo, sit ipsi simile, & conforme: similiter ergo veritas nostræ cognitionis in ipsius cum re si- bi obiecta consistit conformitate, & non conceptus obiectiui cum physico convenientia.

Tertiò probatur nostra opinio. Conceptus obie- ctivus, siue representatus non distinguitur à phy- sico, & reali: quod enim est physicè, & à parte rei, id est, & non aliud, quod cognitio nostra represen- tat. At nullius esse potest secum ipso conformitas: hæc enim est relatio realis, & uniuoca similitudo iuxta aduersarios, adeoque extrema realiter distin- cta postulat: perperam ergo constituitur veritas in conformitate præfata, quippe quæ est planè impos- sibilis.

19 Respondent primò aliqui eorum, quibuscum- lis, conceptum obiectivum distingui à physico, & reali inadæquatè, ac præter illum inuoluere actum, per quem representatur. Contra tamen sic arguo: Veritas consistit in eo, quod res in se talis sit qualis est representata, vt representata, & è conuerso in eo, quod res representata vt representata sit talis, qualis est in se: ergo sita est in conformitate, & convenientia representationis, & rei, quæ est eius terminus. Ita si Petrus v.g. vt albus sit similis equo, similitudo, & convenientia Petri, & equi magis erit penes albedinem, supra quam sit congregatio, quam quoad entitatem albedini subiectam.

20 Secundo alij recurrunt ad esse possibile, & essen- tiale, & hoc aiunt esse distinctum, ac separabile ab esse existentiali: aliundè vero ei conforme, cum ta- liter res omnis existat, qualis est in se essentialiter, & provt est possibilis. Verum inprimis esse essen- tiale quomodolibet sumptum non distinguitur rea- liter ab existentia, vt in metaphysica contabit. De- inde quid si conceptus obiectivus, & à cognitione nostra representatus sit ipsa existentia? an huius ad seipsam relatio realis, & conformitas uniuoca fini- gi potest? Quid secundo si res, quam cognosci- mus, & ex vero, nunquam sit extitura? quodnam est illud esse exercitum, & existientiale cui ef-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

se, essentialè à cognitione representatum sit con- forme?

21 Tertiò alij confugiunt ad idola quædam imagi- naria, quæ similia rebus extrariis à nobis cognitis, & ab eis adæquatè distincta in se intus quicquæ format. Cæterum eiusmodi entia rationis, & ido- la commentitia supra lib. 8. tract. 5. cap. 12. satis, cu- mulatèque sunt reiecta. Rursus, esto admittantur, & ad alia conferant instituta, certè ad præsens ni- hil eis est inutilius: quo enim pacto veritas consti- tui potest in fictione? quæ societas lucis cum tene- bris? Ad hæc minor est convenientia entis rationis cum reali, siue non entis cum ente, quam cogni- tionis veræ, & realis cum obiecto suo, eovè ente quod cognoscit: quando ergo inter priora illa ex- tremæ conformitatem quandam veritati sufficien- tem admittunt aduersarij, quorsum eam reiiciant inter posteriora?

22 Quarto alij obiiciunt, actum reflectentem supra se in nostro, aut certe in intellectu diuino esse ve- rum: at non habet relationem realem conformita- tis cum suo obiecto, videlicet secum ipso: haud enim à se distinguitur realiter, sicut ad talem rela- tionem ubiuis oportet: similiter ergo poterit veri- tas consistere in conformitate conceptus obiecti- ui, & physici, quæ non sit relatio realis vtrum- que interiaccens, nimirum ob eorum indistin- ctionem.

23 Hæc instantia nobis obiecta maius facessit obii- cientibus negotium. Ipsi enim contendunt, verita- tem formalem esse uniuocam, & realem similitudi- nem, eiusque defectu conantur fieri non posse, vt veritas istiusmodi sita sit in conformitate cogni- tionis cum re, quam representat, quippe cui est dissimillima: quorsum ergo nunc negant assump- tum hoc, vt tueri possint, veritatem esse positam in conceptus obiectiui, & physici convenientiâ quadam?

24 Deinde absolūtè respondeo, veritatem formalem esse conformitatem, & similitudinem quandam im- propriam, & analogicam actus, & rei, qua de ali- quid adfirmat, vel negat, aut quod perinde est, vtriusque proportionem quandam in eo sitam, eo- que explicandam, quod cognitio nostra ita rem re- presentat, sicuti est in se, & hæc è conuerso sic se habeat, sicut illa diiudicat: huiusmodi autem pro- portio, similitudo, & conformitas erit relatio rea- lis, quoties eius extrema realiter distinguuntur in- uicem: ubi autem sint reipsa indistincta, haud erit relatio realis, sed quid reale absolutum, ac solo no- mine relatiuum. Quod ergo tueri nequeunt aduer- sarij in suis principiis, videlicet actum verum ta- lem esse posse respectu sui, id nobis est propugnatum facillimum. Vnde in eos quartò sic inlargo, no- stramque sententiam principaliter suadeo. Actus noster reflectens in se dicitur verus: & tamen non est uniuocè similis, & conformis sibi ipsi: quan- quam ergo talem non habeat similitudinem, aut conformitatem intuitu aliarum rerum, dici tamen poterit verus per analogicam quandam cum eis convenientiam, & conformitatem.

25 Ad primum argumentum contrarium dicendum est, cognitionem nostram haud esse uniuocè simi- lem, & conformem obiecto, quod verè representat sed analogicè modo nuper explicato in profligatio- ne postremæ instantiæ aduersus nostram senten- tiam: proinde nihil nobis obesse, cognitionem, & obiectum dissidere quoad materialitatem, substan- tialitatem, existentiam, aliaque condiciones: magis enim sunt contrariæ similitudini uniuocæ actus, & obiecti,

obiecti, quam analogicæ, qua de tantum agimus, & non de illa priori.

26 Ad secundum argumentum contrarium dicendum est, cum definitur propositio esse oratio verum, vel falsum significans, sermonem esse de veritate obiectiua, & fundamentali, siue iuxta aliorum phrasim transcendentali: quasi sensus sit, propositionem esse, quæ affirmat rem esse, aut adstruit eam non esse: alterutrum enim horum obiectiue, & fundamentaliter est verum, falsumvè: haud ergo colligitur ex definitione propositionis, quod veritas formalis sit in obiecto primariè, ac per se, sed ad summum, quod fundamentalis. Secundo dici potest, etiam si sermo sit in præfata definitione de veritate formali, non propterea sequi eam esse primariè in obiecto, sed tantum secundario, & per denominationem à cognitione: perinde enim est asserere, propositio est oratio verum vel falsum significans, atque quod ea denominet rem sibi subiectam extrinsecè veram, eique veritatem sibi principaliter inhaerentem communicet: quo pacto, cum dicitur motus interior arbitrij nostri tendere in opus bonum, ac meritorium, non tam indicatur rationem meriti, ac bonitatis moralis in externo opere primariò reperiri, quam ei exintus communicari.

27 Ad tertium argumentum aduersariorum respondendum est, sicut ad præcedens, voces in primis haud significare verum formaliter, sed fundamentaliter, ea saltem parte, qua sunt notæ conceptuum obiectiuorum: proinde his haud inesse oportere veritatem formalem primò, & per se, sed tantum fundamentale. Secundo responderi potest, ac debet iuxta disputata superius lib. 6. voces etiam primariò, & per se significare conceptus formales nostros: eis ergo quidni possit esse primario, ac per se veritas formalis?

C A P V T III.

An, & quousque distinguatur veritas ab actu vero?

28 **N**ON parum certè interest ad assequendam veritatis essentiam nosse, an ea, & per quam est definita conformitas, sit distincta, & quatenus à cognitione nostra, atque vtrum consistat in hac sola, vel potius in ea simul, & obiecto, aliove quopiam. Qua in controuersia asserendum est primò, veritatem distinguere virtualiter intrinsecè, seu ratione ratiocinata à cognitione, vel etiam ab ea, & re cognita, si in illis duabus realiter posita est, & ab eis re ipsa indistincta.

29 Suadetur assertio: quoniam veritas transcendentalis est passio entis, eique ita est realiter eadem, vt ab eo ratione distinguatur, illoque sit eadem ratione posterior: vbi ergo veritas formalis sit eadem realiter actui soli, id haud continget absque vtriusque distinctione, & ordine quodam virtuali, ac rationis ratiocinata: quæ enim inter alterutram veritatem discriminis ratio: Item secundò, & à priori: actus est representatio obiecti; at eius veritas est conformitas representationis cum re representata: has autem rationes formales ecquis non videat esse diuersas: aut paulo aliter: actus verus conuenit in ratione cognitionis cum actu falso: at non in ratione veri: actus ergò, & eius veritas prædicata opposita, nempe conuenientiam, & disconuenientiam, adeoque opposita prædicata, ac distinctionem virtuales subeunt.

30 Quod si veritas, & conformitas superius explica-

ta sit reapse aggregatum actus, & obiecti, haud minus facilis est probatu assertio nostra. Principio namque veritas, vbi consistat realiter in actu solo, ab eo non potest non distingui ratione, vt nuper demonstratum: ergo si re ipsa posita sit in collectione actus, & obiecti, ab eis iunctim sumptis non sustinebit non distingui ratione ratiocinata, & virtualiter intrinsecè. Rursus secundò: si veritas formalissimè sita esset in aggregato actus, & obiecti, & ab eis ne ratione distingueretur, profectò actus verus, & obiecto conformis, ac assimilis sibi ipsi conformaretur, & assimilaretur, & è conuerso obiectum, vbi actui conformaretur, sibi ipsi conforme euaderet: haud secus, atque iuxta dicenda in Metaphysica lib. 3. tract. 6. cap. 17. si relatio paternitatis ex. g. esset formalissimè sita in fundamento, & termino, quos demus esse Petrum, & Ignatium, certè alter eorum esset pater, & alter filius suimetipsius. Et, ne multis morer, quiddid contra relationem prædicamentalem ex fundamento, & termino formalissimè coalescentem obiciendum est à nobis loco nuper indicato, id omne contra identitatem virtuales, ac summam veritatis cum actu, & obiecto procedit.

Obiicies tamen pro contraria sententia primo. Veritas est assimilatio actus, & obiecti: inuoluit igitur formalissimè, tum actum, tum etiam obiectum. Rursus secundo: ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, teste Aristotele vbi paulo supra rem igitur esse, vel non esse simul cum actu veritatem, ac falsitatem intimè constituit. Tertio, hoc ipso, quod actus adsumet aliquid de obiecto, & obiectum ita se habeat sicut affirmatur, circumscripto quouis alio, actus intelligitur verus: veritas igitur in vtroque est formaliter sita.

Nullum argumentum horum premit. Ad primū, & secundum dicendum est, eis hoc tantum conuinci, veritatem formalissimè sumptam connotare obiectum, & obiecto, actuque positum eam necessario resultare, non tamen in vtroque eam quidditatiue, & intimè consistere. Ad tertium respondendum est, concessio antecedenti, cæterum consequentia eius est nulla: siquidem in particula, &, probabile est tacite inuolui relationem conformitatis virtualiter distinctam à complexione actus, & obiecti. Secundo etiam responderi potest, negato antecedenti. Nā eo ipso, quod cognitio representet obiectum, & hoc ita se habeat, sicut representatur, circumscripto quouis alio ea est vera, non formaliter, sed radicaliter. Vide dicenda à nobis citato nuper lib. 3. tract. 6. c. 23 ex eis enim clarebit, quam parum sit momentum in hoc tertio argumento, tum etiam in duobus anterioribus.

33 Asserendum est secundo actibus probabilibus, & incertis, quales sunt v. g. *Petrus currit*, aut *Ignatius loquitur*, nullam inesse veritatem, eis ex toto essentiali, & nullatenus realiter distinctam, sed potius omnē earum veritatem esse re ipsa positam, tū in ipsis, tum in eorum obiectis. Suadetur assertio primò. Conformitas physica, & in esse rei, qua aliquid alteri simile est prædicamentally non est fundamēto soli realiter essentialis: sed tum in eo tum etiam in termino re ipsa consistens, vt ostendetur à nobis, cum erit disputatio de prædicamento ad aliquid: pari ergo ratione conformitas intentionalis, & in esse cogniti, qua actus est verus, haud est ei vniuersim essentialis re ipsa, sed potius ei aliquando partim intrinsecus, partim extrinsecus accedet, nimirum quoties coexistentia obiecti, tam fuerit contingens respectu actus veri, ab eiusque entitate ex genere suo.

suo separabilis, quam terminus similitudinis intuitu fundamenti. Vterius secundo: in hoc actu, *Petrus currit*, aliove simili non est adstruenda essentialis connexio cum existentia cursus Petri, absque videnti fundamento: aliàs albedo essentialiter connexa cum subiecto, eiusque modus pari libertate fingi posset: at nullum est eiusmodi fundamentum, ut solutione obiectionum iam iam constabit: is igitur actus cum existentia cursus Petri essentialiter connexus non est, sicut ad eius veritatem omnino essentialem, & re ipsa prorsus indistinctam oportet.

34 Verum obiicies primò. Veritas est magna quorumvis actuum perfectio, & falsitas magna imperfectio: actibus ergo quibuslibet omnino intrinsecæ, & essentielles sunt: quo enim pacto per aliquid extrinsecum perfici, aut non perfici, meliorari, ut ita loquamur, aut deteriorari possunt? Secundò. si veritas, & falsitas actibus quibusdam essent extrinsecæ, non esset cur in Deum actus falsus cadere non posset: siquidem talis actus tam perfectus esset, ac si verus esset, cum veritas, & falsitas in nostris principiis nullo prædicato intrinseco differant, sed solum extrinseca connotatione obiecti, quæ ad perfectionem inuehendam quid potest iuuare? Tertiò: actus noster quicumque sit, per seipsum præcisè, & essentialiter vel assimilatur obiecto suo, vel non assimilatur ei, si primum; essentialiter ergo, & intrinsecè est verus, & non quadantenus extrinsecè: si secundum; similiter ergo est falsus.

35 Quarta: hic actus, *Petrus currit*, ubi semel verus sit, repræsentat cursum Petri verum, & realem, seu verè, & realiter existentem: is igitur actus verus haud potuit esse diuinitus falsus, atque adeo duntaxat per seipsum, & non per obiectum est verus; alioqui certè, ut obiectum, ita & illius veritas foret contingens, ac variabilis. De antecedenti haud potest esse ambiguitas vlla. Consequentia suadetur quia, ut is actus falsus esset, deberet repræsentare cursum Petri fictitium, & non verum ac realem: at is actus diuinitus repræsentare nequit cursum fictitium, & non realem; alioqui obiectum mutare posset, & aliud ab eo, quod modo respicit vendicare: is igitur actus falsus esse non potest, nec potuit. Quintò: hic actus *Petrus currit*, ut verus sit, debet repræsentare extrema inter se actu identificata, ut autem falsus sit, exprimere debet extrema inter se non identificata: sed actus repræsentans extrema inter se identificata nequit diuinitus repræsentare extrema inter se non identificata; aliàs variaret obiectum: hic igitur actus, *Petrus currit*, ubi semel verus sit, falsus esse non potest, nec potuit vnquam, adeoque est essentialiter verus.

36 Sextò: veritas, quæ elucet in omni actu creato, est finita, & infra perfectionem diuinæ, & incommutabilis veritatis summo intervallo subsistens: at esset infinita sapissimè, si constitueretur obiecto, cum hoc multoties sit infinitum, ipse nimirum Deus, ut v. g. si asseras Deum videre cursum Petri, aut simile quidpiam, quod ut potuit non esse, sic etiam à Deo non conspici. Septimo, & eodem redit: falsitas haud potest constituere essentialiter veritatem, ut videtur luce clarius: constitueret autem iuxta nostram sententiam, cum ea sæpè sit obiectum actus veri, toties videlicet quoties, aut nos, aut alios falli in aliqua verè iudicamus.

37 Octauo tandem: si actus aliquis verus, prout talis, posset re ipsa constitui obiecto, veritas eius haud esset realiter distincta ab illius falsitate, ea scilicet, quam potuerat sortiri, si obiectum aliter se habuisset.

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

set. Consequens est euidenter falsum: cum enim ambæ sint separabiles, imò, quod plus est, separata, quæ fieri potest, ut realiter non distinguantur? Sequela probatur: nam ea, quorum constitutiva omnia sunt realiter eadem, haud possunt esse reali distinctioni obnoxia: eiusmodi autem sunt veritas, & falsitas huius actus v. g. *Petrus currit*, siquidem eius entitas, & cursus Petri verus, & realis constituunt per nos eius veritatem: ea etiam constituunt eius falsitatem. Quod si respondeat quis, non cursum Petri, sed eius carentiam reddere eum actum falsum; in contrarium est eam carentiam, illo non repræsentari, nec eius esse obiectum: talis ergo carentia non constituit falsitatem illius actus, sed potius cursum, quem negat, aut, si constituit, certè falsitas, de qua loquimur, ex obiecto non coalescet. Confirmatur ex Augustino lib. 2. contra Faustum cap. 4. ubi sic ait: *non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est.* At si veritas, & falsitas constituerent obiecto, & actu re ipsa quidem hic, quem in exemplum toties adhibuimus, videlicet *Petrus currit*, eo esset verus, quo falsus, & è conuerso; verus scilicet seipso, & obiecto suo, & per utramque etiam falsus.

38 Non est tamen propter superiora argumenta ab opinione, cui subscripsimus, abscedendum. Ad primum respondendum est, veritatem, & falsitatem non esse perfectionem, aut imperfectionem actus formaliter, sed solum arguitiue, si in genere loquamur. Etenim veritas in genere perfectionem aliquam absque vlla imperfectione arguit; falsitas autem genericè loquendo imperfectionem aliquam, videlicet inevidentiam, & inobscuritatem in actu falso prodit: quomobrem veritas est arguitiue perfectio actus, & falsitas simili ratione imperfectio, licet neutra formaliter, & propriè actum reddant perfectum aut imperfectum penes omne id, quod includunt. Ad secundum dicendum est, non ideo repugnare Deo falsitatem, quia in eo actus falsus, quatenus talis, esset formaliter imperfectus, sed quia esset arguitiue imperfectus, eo scilicet, quod defectum cognitionis intuitiue, & comprehensiuæ argueret in intellectu creatoris circa materiam erroris, ac falsitatis. Ad tertium dicendum est, propositionem incertam, & probabilem per se ipsam essentialiter, nec assimilari, nec non assimilari obiecto, sed ab utroque præscindere, & ad alterutrum per aliud à se distinctum determinari, ut etiam in similitudine physica, eiusque carentia vsuuenit.

39 Ad quartum dicendum est, actum falsum affirmantem, *Petrus currere*, cursum verum, & realem Petri, non vero fictitium repræsentare, haud secus, ac si verus esset: imò ideo est falsus, quia cursum, verum, & realem adstruit, qui tamen à parte rei non reperitur, pro eo ac adstruit: quod si is actus cursum Petri fictitium repræsentaret, & affirmaret, haud esset falsus, sed verus, cum cursum Petri fictitium dari eo modo, quo potest, & fictitiè existere Petro non corrente sit verissimum. Et quidem non omnem actum falsum efficere ens rationis, aut repræsentare quidpiam fictitium, & impossibile, sed potius obiici posse, & solere non paucis entia realia, & possibilia, plerique docent auctores, præsertim Auerſa q. 5. log. s. 2. concl. 2. ubi sunt hæc eius notanda verba: *si quis putet v. g. rosam esse in hyeme, fallitur quidem, non tamen facit ens rationis: quia obiectum, licet actu non sit, est tamen possibile: & existentiæ ipsa, quam tunc rosa attribuit, est utriusque possibilis, atque adeo verè realis.* Vide dicta à nobis superius lib. 2. huius operis tr. r. c. 8. n. 67.

Ad quintum respondeo. Actum aliquem repræ-

H h 3

sentare

sentare extrema actu inter se identificata, bifariam intelligi potest: primò, ut idem sit ac representare actualem identitatem extremorum, siue ea identitas detur à parte rei siue non: secundo, ut perinde sit, ac representare eam actualem identitatem extremorum, & hanc reipà dari, & reperiri. Quibus constitutis, hic actus, *Petrus currit*, siue verus sit, siue falsus, eodem modo representat extrema actu inter se identificata, in primo sensu nuper explicato, cum in omni euentu identitatem extremorum, nequiquam verò distinctionem eorum exprimat: ceterum in secundo sensu actus ille solum representat extrema actu inter se identificata, cum verus est, & extrema actu non identificata, cum falsum ei subest: ast hoc non tam est actum eum mutare obiectum, siue diuerso modo illud representare, quam inuariata representatione actus rem representatam diuerso modo inesse rei se habere.

41 Ad sextum respondeo, veritatem cuiusvis cognitionis creatæ, quatenus cum hac identificatur, & penes id, quod importat in recto esse finitam; at aliquando esse infinitam, quatenus est distincta ab ea cognitione, & secundum id quod inuoluit in obliquo, quod certè nihil habet incommodi. Primò, quia haud est attribuere infinitatem creaturæ ut tali sed alicui rei non creatæ, Deo nimirum, prout est obiectum nostri actus veri. Secundo, quia cognitio nostra, & quævis res creata subit haud paucas relationes prædicamentales ad Deum totam eius infinitatem intime cludentes, videlicet similitudinem, dissimilitudinem, subiectionem, leuitatem, indistinctionem localem, ac temporaneam, &c. harum autem quævis (etiam si sit relatio propria creaturæ non minus, quam veritas est proprietas actus veri) ex parte Dei, quem de obliquo concernit, infinita dici debet: quidni ergo & veritas nostra. Tertiò, quia veritas diuinæ cognitionis de obiecto creato est quandam finitam, nimirum ex parte creaturæ, quam ex obliquo includit: E contrario igitur, &c. Quamuis autem hæc ita se habeant, veritas nostrorum actuum circa Deum absolute, & simpliciter dicenda est finita, & non infinita: tum, quia malum ex quocunque defectu: tum, quia denominatio debiliorem sequi partem amat: tum denique, quia veritas in recto & magis principaliter importat cognitionem, & in obliquo, ac secundario obiectum increatum; magis ergo est, ut ab illius finitudine finita, quam ab huius infinitate nullis circumscripta finibus censeatur, ac dicatur.

42 Ad septimum dico, falsitatem actus alicuius formalem esse veritatem obiectiuam, ac transcendentalem: unde posse quodammodo constituere veritatem formalem alterius actus, qui in eam reflectat. Vel secundo, & paulò aliter: falsitas formalis, & veritas formalis, cum sint contrariæ tantum, amant se expellere ab eodem subiecto, non vero etiam à diuersis: quod ergo cognitio nostra directa sit falsa formaliter, tantum prohibet, ne ipsa sit vera, non verò quominus reflexa eius cognitio sit vera: quando igitur veritatem in alieno ubiecto non tollit, quidni etiam in illo possit, eam aliquo pacto constituere? Tertiò tandem: actus intellectus probabilis haud redditur in nostris principiis verus formalissimè per obiectum, sed per formalitatem aliquam ab eo virtualiter, ac ratione ratiocinata distinctam: proinde nihil refert, quod obiectum actus veri sit quid falsum: haud enim quatenus tale veritatem constituit. Sic nihil habet incommodi, Deum amare, & producere malitiam peccati, cum non ut talem, sed potius quatenus entitatem, & rem quandam eam amet, ac producat. Sic

etiam haud absolum est aliquid constitui prædicamentaliter maius per id, quod minus est, videlicet terminum eius relationis, quia non formalissimè, ut minus est, relationem prædicamentalem maioris constituit, sed quoad aliquid virtualiter, ac ratione ratiocinata distinctum, ac superadditum.

43 Ad octauum dico, veritatem & falsitatem nostrorum actuum tametsi realiter sitas in ipsis, & illorum obiectis, tamen distingui reipà, ac diuersa fortiri constitutiva. Nam, ut bene in argumento disputatum est, veritatem huius actus, *Petrus currit*, tum ipse, tum cursus constituit, eius verò falsitatem ipse, & carentia cursus: nihil autem refert, carentiam illam non cognosci per actum: cum enim sit circumstantia cursus cogniti, eumque essentialiter respiciat, nomine obiecti impræsentiarum intelligitur, adeoque falsitatem poterit constituere. Hac ratione volitio comedendi carnes die veneris, etiam si non velit earum prohibitionem, cum tamen vitatur à prohibitione diuina, censetur vitari ab obiecto, propterea quod prohibitio diuina sit circumstantia obiecti, in quod motus ille voluntatis nostræ fertur, videlicet elum carniū. Hinc ad confirmationem liquet: quam enim differunt cursus, & eius carentia, tam est aliud id, quo cognitio nostra est vera ab eo, quo constituitur falsus.

44 Affertur etiam tertio problematice defendi posse, actibus etiam probabilibus, & incertis veritatem aliquam inesse ex toto essentialem, atque ita in eis realiter sitam, ut ne inadæquatè includat obiecta, siue res cognitæ. Ratio est, quia distinctio realis, vel est multiplicitas, vel certè altera alteri est valde affinis: quemadmodum ergo non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, ita nec distinguendæ. Atqui, ut solutione argumentorum constat, nullum prius est fundamentum, ob quod veritas omnis actuum probabilium sit ab eis realiter inadæquatè distincta: aliqua ergo ab illis ita non distinguitur, sed potius identificatur omnino.

45 Obiciet tamen primò. Si veritas aliqua in actu & obiecto formaliter non consisteret, sed actui essentialis esset, Angelus posset naturaliter cognoscere futura contingentia, quorum tamen præscientia est solius Dei propria iuxta illud Isaia *Annuntiate quæ ventura sunt in futuro, & sciemus quia Dñs estis.* Quod idem colligitur ex Danielis 2. cap. & Ioh. cap. 13. & cap. 16. aliisque sacræ paginæ locis. Idem docent Hieronymus super Ierem. cap. 8. *nequaquam prophetae suorum tantum loquuntur arbitrio, sed Domini voluntate, maxime de futuro, quorum notitia solius Dei est.* Tertullianus in apologet. aduersus gentes cap. 20. *idoneum opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis.* Anastasius Episc. Nicænus questionum in scriptur. quæst. 23. col. 2. *futurorum autem arcanorum nihil præscium demones, sed solus Dominus, qui nouit omnia prius, quam, fiant.* Origenes contra Celsum lib. 6. col. 4. *diuini sermonis character est futurorum prædictio.* In eadem sententia sunt Aug. Clem. Alex. Anselm. Damascenus, alique Patres apud nostrum Didacum Ruiz de scient. Dei disp. 22. sect. 3. Quin etiam ipsis ethnicis huius rei lux affulsit aliqua, quamuis crepera, ac tenuis, ut constat ex illo Pacuij apud Aul. Gellium lib. 14. notitium atticar. cap. 1. *nam si quæ euentura sunt prævideant, æquiparent Ioui.* Hæc cum ita sint, argumenti porro sequela probatur, quia, si quis hanc propositionem, *Petrus cras peccabit*, temerè, & inconsultè proferret, Angelus eam comprehendere posset. Demus autem, eam esse veram: Angelus ergo veritatem eam cognoscet, siquidem est essentialis actui, ac proinde comprehensionem

tionem actus præterire non potest, quam nullum prædicatum actus præterit, aliàs comprehensio futura non esset: ergo etiam crastinum peccatum i etri cum quo ea veritas essentialiter coniuncta est, Angelus dignoscet.

46 Obiicies secundo; si veritas aliqua esset essentialis actui, & in eo, atque obiecto simul non consistens, Deus determinaret ad errorem, quod tamen impium est, ac sacrilegum. Sequela probatur, quia in opposita sententia possibilis est duplex propositio affirmans, Petrum currere, altera essentialiter vera, altera essentialiter falsa: intellectus autem est de se indifferens ad utramlibet, nec magis ad veram, quam ad falsam aut e converso se potest determinare, propterea, quod unam ab altera discernere nequeat, ut est experientia testatissimum: ergo si falsam eliciat, Petro nimirum non corrente, à Deo ad eam determinabitur.

47 Obiicies tertio: Hic actus, Petrus currit est incertus, & probabilis duntaxat, ergo est fallibilis: non igitur infallibilis: quod si veritas aliqua esset ei ex toto essentialis, & quod consequens est, falsitas illi repugnans, sane esset infallibilis: haud ergo est essentialiter, & per seipsum præcise verus.

48 Ad primum horum respondeo, non deberi Angelo concursum ad cognoscendum, & penetrandum, omnia prædicata essentialia, quæ in eo actu nobis obiecto latent, & per quæ ad futura refertur, cum illisque connectitur, haud secus, ac non debetur ei concursus ad cognoscendas omnes cognitiones, & actus naturales, qui in corde alterius Angeli, aut hominis deliteant, ut peritringitur 2. paralipom. 6. *tu solus nosti corda filiorum hominum*: nec video quæ utrinque disparitatis ratio queat afferri. Quod autem Angelus comprehendat eam propositionem, non obstat: siquidem ea comprehensio non est exacta, sed vulgaris, quam certè plura prædicata essentialia possunt, & solent subterfugere.

49 Ad secundum, In primis aliud est mentiri, vel decipere, aliud determinare ad errorem, cum species impressa, & apprehensiones præiisæ ad errorem, siue iudicium falsum determinant, quæ tamen, sicut non loquuntur, ita non decipiunt, nec mentiuntur: illud prius Deo repugnat, ac non fortassis posterius. Deinde argumentum in aduersarios efficaciter retorquetur, quia hic actus, *Deus homo factus, non est*, iuxta eos est de se indifferens, ut verus, falsusve sit, & quod aiunt, hic, & nunc constituitur falsus per hoc, quod Deus homo factus sit: at Deus determinat ad incarnationem suam, qua falsitas eius actus ultimum completur, & constituitur ergo determinat ad actum illum falsum, siue ad eius falsitatem: qua ratione, qui determinat ad unionem albedinis cum subiecto, ad denominationem etiam albi determinat.

50 Præterea ipse intellectus mediis speciebus impressis, & apprehensionibus præiis, aut si hæ ob nimiam obscuritatem non sufficiunt, medio aliquo imperio voluntatis ad propositionem affirmantem Petrum currere se determinat. Cum autem in his circumstantiis, in quibus Petrus non currit, propositio vera affirmans, Petrum currere, sit impossibilis, inde est, ut intellectus mediis speciebus impressis, aut expressis præiis, aut imperio voluntatis se ad errorem, siue iudicium falsum determinet, habente se obiecto velut conditione, siue qua non ita se determinaret: qua solutione etiam aduersariis est utendum. Quod autem intellectus inter duas propositiones affirmantes Petrum currere non discernat, &

quæ sit essentialiter vera, quæ essentialiter falsa minime dignoscet, nihil obest: tum, quia intellectus non se determinat ad unam præ alia per modum obiecti, sed per modum actus: ad quod unam ab alia discernere non oportet: qua ratione voluntas ad amorem præ odio se determinat, quin alterum ab altero dilucidet neutrumve cognoscat, solumque obiectum utriusque ei proponatur. Quod attinet ad tertium argumentum contrarium, ei satis, cumulateque fiet satis in Metaphysica lib. 7. tract. 6. c. 4. ad eius initium.

CAPVT IV.

Distinctio & indistinctio veritatis ab actu vero ulterius explicata.

51 **A**fferendum est quartò, actibus metaphysicè certis, siue sint obsecuri, ac fidei supernaturalis siue clari, & evidentes veritatem saltem aliquam esse reipso omnino identificatam, & ab eisve realiter inadaquate distinctam, vel in obiectis etiam ex obliquo sitam. Suadetur assertio primò, quia actibus incertis veritas aliqua identificatur, quantum dictum est, ut ad finem capitis superioris visum: ergo à fortiori, &c. Secundo, quoniam huic actui, *Petrus est homo*, & huic, *verbum caro factum est*, nè diuinitus potest, aut potuit subesse falsum: par est ratio aliorum actuum similium: eis ergo est omnino essentialis veritas falsitati opposita: qua ratione homini est essentialis rationalitas, quoniam ei diuinitus repugnat opposita irrationalitas.

52 Oppones tamen primo. Deus nulla vi aut potentia potest non esse absolute potens producere creaturas: & tamen hæc ei denominatio haud est essentialis, & eadem ex toto, sed consistens partim in eius entitate, partim in possibilitate, ac non repugnantia creaturarum; haud enim ad has refertur transcendentaliter, ut palam fiet in physica. Similiter ergo, quamuis actus aliquis noster possit diuinitus non esse verus, haud propterea censendus est essentialiter, ac per seipsum præcise talis. Oppones etiam secundo: nulla creatura potest non esse à Deo cognita per scientiam, simplicis saltem intelligentiæ: & tamen eiusmodi denominatio haud est creaturæ intrinseca, & essentialis, sed potius extrinseca. Similiter ergo in presenti, &c.

53 Respondeo ad primum admissio antecedenti, & negata consequentia. Nam, quod Deus nallatenus carere possit denominatione illa potentis producere creaturas, ideo est, quia hæc ne diuinitus possunt non esse possibiles: proinde non est cur id denominationis sit Deo essentialis. At, quod hic actus fidei, *verbum caro factum est*, nequeat non esse verus, haud oritur ex necessitate alterius extremi, ab eovè, quod verbum non potuerit non incarnari, sed potius ex prædicato aliquo intrinseco, & essentiali, videlicet supernaturaliter, & certitudine sua. Similiter hic actus, *homo est animal rationale*, non emendicat necessariam, ac ne diuinitus cū falsitate incommutabilem veritatem à necessitate obiecti, sed ab evidentia sua naturali. Non est, ergo, cur his, & aliis propositionibus veritas intrinsece, & essentialiter non conveniat. Ad secundum argumentum respondeo similiter, ideo nè diuinitus posse non esse cognitam creaturam, quamuis à creatore, quia cognitio diuina est necessaria: at, ut prædictum est, haud ideo actus falsitati repugnantes, & cum veritate necessariò coniuncti tales

H h 4. sunt,

sunt, quia eorum obiecta sunt necessaria, sed, quia propterea distinguuntur ab obiectis sunt, aut naturaliter evidentes, aut supernaturaliter certi.

53 Afferendum est quintò, actibus falsitati repugnantibus merito, vel naturalis euidencia, vel supernaturalis certitudinis, vel fortasse specialis cuiusdam perfectionis cum incertitudine, & ineuidencia coniuncta præter veritatem omnino intrinsecam, & essentialem, aliam inesse, partim intrinsecam, partimque extrinsecam, ac sitam, tam in ipsis quam in illorum obiectis. Probatur assertio. Nam principio quatuor creatura duplicem terminat productionem, siue effectiorem etiam respectu eiusdem agentis, alteram scilicet actiuam, & positam in voluntate Dei, alteram passiuam consistentem in ipsa re producta. Item intellectus noster cognoscit obiectum quoduis per duplicem cognitionem imaginem scilicet, & eius productionem, siue expressionem. Præterea in Deo, quod plus est, duplex est duplex est intellectio cuiuslibet obiecti, alia absoluta, & communis tribus personis, alia relativa, & intentionalis, filij solius propria. Rursus anima nostra duplici pollet intellectu, quorum alter agens, & alter patiens solet nuncupari. Quid multa; paries v.g. est albus, haud per vnam albedinem, sed per plures, nec tantum vnus indiuisibilis maiori radicatione, quam plurium additamento: par ratio est aliarum qualitatum physicarum. Similiter ergo impræsentiarum haud est aliquid incommodi in eo, quod quiuis eorum actuum, de quibus est sermo, duplici sit veritate præditus.

54 Secundò: Omnis creatura duplici similitudine suum imitatur creatorem: est enim ei similis, partim intrinsecè, partim extrinsecè, & vel per vtrumque extremum, vel per modum vtrinque interiectum, vt omnibus est in confesso. Neque non ei etiam est similis per seipsam præcisè, & omnino essentialiter: quis enim neget creaturæ tam esse essentialē, quod sit imago qualis qualis Dei optimi maximi, eiusque quadam participatio, quam quod sit ens, non à se, sed ab alio. Pari ergo ratione actus noster erit intentionaliter similis, & conformis obiecto suo, non tantum per conformitatem, ac veritatem omnino essentialē, sed insuper per aliam, partim in se partim in obiecto positam.

55 Tertio, & à priori. Veritas est connexio actus cū obiecto ita se habente, sicut representatur, & non qualiscunque, sed in genere loquendo primaria, & aliam non supponens iuxta dicta superius cap. 2. talis autem connexio est duplex in iis actibus, de quibus est controuersia: nam ita connectuntur haud dubie per suam essentiam, vt certo certius: nec non per complexionem ipsorum, & rerum cognitarum: hæc enim complexio connectit eos cum obiectis, & quamuis pecificè sumpta supponat aliam connexionem, videlicet essentialē, at non usurpatæ in genere, vt visere est in eis actibus, qui, aut modo, aut certè in alia rerum serie sunt falsitati obnoxij, & prædicta connexione destituti.

56 Enimuero argues primò aduersus postremam hanc assertionem nostram. Hoc ipso, quod materia existat per seipsam, nequit simul existere per existentiam formæ, quantumlibet sibi vnitam, & in se receptam. Vbi ergo actus aliquis intellectus nostri sit per seipsum essentialiter verus, haud poterit denominari postea verus per aliam formam, aut relationem ex parte extrinsecam, & accidentariam.

57 Argues secundò, sicut propositio causalis affirmat v.g. diem existere quia sol est, ita, vt ob aliam causam, vel, quia aliud quiddam est eius existentiam

diuinitus affirmare nequeat, ita similiter actus fidei circa aduentum Anti-christi v. g. ita eum representat sicut est, vt diuinitus nequeat eum representare aliter, quam est. At propositio causalis non constituitur vllatenus in ratione causalis per obiectum supra quod particula, quia, appellat, sed omnis denominatio causalis, ei est prorsus essentialis, vt nemini non est exploratum. Igitur nec actus fidei necessario verus constituitur vllatenus in ratione veri per obiectum, supra quod particula, sicut, appellat sed quod sit verus nisi essentialiter, & per seipsum ei non conueniet. Haud video certè quæ vtrinque disparitatis ratio queat afferri.

Idem argumentum fieri potest in propositione conditionali, quæ non, nisi essentialiter talis est, & denuo non constituitur in ratione conditionalis per obiectum, supra quod particula, si, appellat. Idemque fieri etiam potest in intentione salutis v.g. siue amore illius, quia salus est: qui certe actus essentialiter intentio salutis est, & non constituitur iterum in ratione talis per salutem, quam habet pro obiecto, & supra quam particula, quia, appellat. Argues tertio admissa semel nostra de veritate sententia fas esse cuius comminici in omnibus, & singulis actibus nostris euidentiis, ac certis duplicem certitudinem, & euidenciam, alteram omnino intrinsecam, & essentialē, alteram accidentariam, & ex parte extrinsecam, atque in obiecto sitam.

Ad primum argumentum horum responderi debet, essentialē, & existentiam non posse realiter distinguui, alteramque, vt denominet alteram existentem, egere vnione, non quacunque, sed summa, & identifica: quid mirum ergo, si materiam prius existentem non denominet denuo, & iteratò existentem forma? hæc enim eiuſve existentia haud vnitur materiæ per identitatem, sed per informationem. Cæterum veritas, vt denominet actum verum, haud postulat vnionem identitatis vtrique adæquatæ, de qua sermo, sed etiam si ab eo distinguatur realiter inadæquatè, poterit eum afficere, vt cernere est in actibus veris falsitati obnoxij. Poterit ergò huiusmodi veritas aliam essentialē subsequens actū denuo reddere verum. Quod si quis, vt responsionem hanc eleuet, inficias eat existentiam, & existentiam identificari, potiusque realiter eas distinguui contendat, adhuc commodius respondere possumus, ita quidem non denominari materiam existentem per existentiam formæ, quia existentia formæ, huic soli, & non materiæ vnitur intrinsecè: quæ ratio non procedit in nostra sententia duplicem adstruente veritatem: alterutra enim actum immediate afficit.

Ad secundum responderi debet, actum representantem necessario obiectum sicuti est, ei esse similem, & conformem intentionaliter: proinde haud mirum esse, si more similitudinis physice talis similitudo intentionalis, adeoque veritas, sit, partim intrinseca, partim extrinseca, & in actu ipso, & obiecto sita; quantumlibet sit necessaria, & ne diuinitus cum opposita falsitate commutabilis. Cæterū actus intellectus causalis representans necessaria ratione aliquid esse, quia aliud est, haud est similis obiecto, supra quod particula, quia, appellat; haud enim ea denotat similitudinem actus cū obiecto, aliumve eorum ordinem, sed causalitatem duntaxat vnus obiecti respectu alterius. Quorum ergo actus noster causalis fiet talis, tum per seipsum, tum secundò extrinsecè, ac per obiectum: Atque hinc liquet ad id, quod opponebatur de actu intellectus conditionali, nec non intentione nostræ voluntatis.

Ad

61 Ad tertium respondendum est, inprimis, iuxta iam iam disputata, veritatem esse similitudinem, & conformitatem, siue conuenientiam actus cum obiecto, adeoque aliquam in alterutro, & non in vno solo sitam esse, vt in propria, & physica similitudine duum quorumuis extremorum vsuuenit. At certitudo haud est similitudine etiam intentionalis, sed formalitas quaedam eam supponens: par ratio est euidentiæ: eodem enim modo actus est similis intentionaliter obiecto, siue sit certus, siue incertus, & siue clarus, siue obscurus, & ineuidens, dummodo sit cognitio obiecti praesertim vera. Secundo vti lux isthac solaris, quæ oculos nostros recreat, reficitque, est per se ipsam præcisè clara, & perspicua, quidni etiam actus intellectus nostri sit omnino quidditatiue clarus, & euidens? item actus intellectus nostri certus, & non euidens habet, quod talis sit à supernaturalitate sua duntaxat, adeoque ab aliquo prædicato omnino essentiali, & intrinseco. Nullæ autem similes rationes conuincunt veritatem omnem esse omnino essentialem actibus nostris. Vide dicenda in metaph. lib. 7. tract. 6. c. 4.

C A P V T V.

Quatenus alij de distinctione, & indistinctione veritatis ab actu vero sentiant?

62 Prima sententia est eorum, qui statuunt omnem nostrorum actuum veritatem esse ipsi prorsus essentialem, & eandem. Ita Theodorus Smilingus tract. 3. de Deo disp. 31. num. 1. & alij quidam Scotistæ, Petrus Hurtadus disput. 9. de anima sect. 3. & nostrorum Recentiorum non pauci. Secunda sententia est, veritatem omnem esse denominationem quadantenus extrinsecam actibus nostris, ac tum in eis, tum in eorum obiectis realiter sitam. Ita Suarez, Vasquez, Molina, Ouedus, Bartholomæus Amicus, Rodericus de Arriaga, Compton, & Nominales omnes. Caterum vtraque opinio satis est profligata à nobis cap. 3. & 4. huius tractatus: ibi enim visum est contra priorem, quibusdam actibus nostris nullam inesse veritatem omnino essentialem, & si forte aliqua ita eis conuenit, aliam insuper eis competere, partim extrinsecam, & in obiecto sitam: contra posteriorem verò, aliquibus actibus veris, & fortassis etiam omnibus veritatem saltem aliquam esse omnino essentialem, & in ipsis, non vero in eorum obiectis consistentem. Quæ autem in contrarium obici solent, ibidem abundè soluta.

63 Tertia opinio est eorum, qui veritatem ab obiecto, & actu simul sumptis realiter inadæquatè distinguunt, eamque putant vltèrius importare actum aliquem diuinæ scientiæ. Cuius fundamentum, alterum est, veritatem esse conformitatem actus cum diuina scientia; alterum verò, omnem relationem prædicamentalem coalescere ex extremis, & actu aliquo diuini intellectus ambo conferentis. Caterum prius fundamentum falso statuit, veritatem esse conformitatem cum diuina scientia, vt constat ex dictis cap. primo. Deinde eo, quod supponitur admissio, vel potius permissio, quid inde: an non qui conformitatem cum obiecto essentialem actui adstruimus, id ipsum de eius conformitate cum diuina scientia asseremus? Posterius fundamentum latè & ex professo demolietur in metaph. lib. 3. tract. 6. c. 21.

64 Quarta opinio est quorundam Thomistarum,

quos suppressis nominibus refert Arriaga disp. 14. log. sect. 1. subsect. 1. concl. 1. & quos voce sola tenus sequitur Vasquez 1. disput. 76. cap. 2. veritatem esse relationem rationis, & fictionem quandam intellectus actum cum obiecto comparantis, adeoque ab actu vero distingui tanquam non ens ab ente, quæ distinctione haud facile excogitari potest alia maior. Verum quis dicat haud posse nos sine fictione veritatem vllam vt talem assequi? Rursum, cum Deus verè cognoscit, aut se, aut creaturas (semper autem id facit) an aliquid fingit, aut comminiscitur? Præterea, ecquid est fictionem actui, & obiecto superuenientem complere vtriusque conformitatem, & vnus, alteriusve constituere veritatem, quam contraria ex contrariis suis coalescere, & posse parietem v. g. additione nigredinis albicare, aut albedinis nigricare? Equidem adeo falsam arbitror hanc opinionem, vt nulla putem impugnatione magis eam improbabilem reddi posse, quam sit per se, ac sponte sua.

65 Quinta sententia est, veritatem distingui realiter ab actu vero tanquam modum quandam ei superuenientem, haud secus, ac vnio se habet respectu suorum extremorum, & vbicatio fortasse intuitu rei locatæ, ac duratio contemplatione rei temporatæ, vt sic dixerim. Ita Salas 1. 2. tract. 3. d. 2. At inprimis similitudo, & conformitas physica nequit esse modus: ergo nec intentionalis Antecedens latè à nobis demonstrandum est in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 17. 18. & 19. Consequentia liquet: tum ob æquitatem rationis, tum, quia argumenta, quibus loco nuper memorato relationem haud esse modum ostendimus, per quam facile possunt applicari ad probandum veritatem haud esse modalem: tum denique, quia probabilius est veritatem comprehendendi inter relationes prædicamentales, & esse vnā ex illis, tamen si oppositum sentiat Hurtadus disput. 9. de an. sect. 3. §. 12. & 13.

66 Rursum pro priori ad modum omnem cognitio nostra repræsentat, v. g. Petrum currere, & Petrus re ipsa currit: quid ergo ei actui deesse potest ad veritatem, pro anteriori illo signo? nihil certè: superfluit ergo modus subsequens. Tandem, quæso, an Deus, cum verè cognoscit, munere alicuius modi in se recepti, & se immutantis id facit? minimè profectò: quæ ergo formæ modalis necessitas in nobis vt verè cognoscamus? Quapropter quod veritas haud sit modus, vt per se notum statuitur à Durando in 2. distinct. 40. quæst. 3. num. 4. idque ipsum omnino certum existimat Suarez disput. 8. metaph. sect. 2. num. 5.

67 Sexta, ac postrema sententia est, veritatem non distingui realiter adæquatè, vel inadæquatè ab actu vero, haud tamen ei esse necessariam, sed variabilem, eamque, quæ manente actus entitate tota, possit nihilominus deficere, propter obiecti, quod de obliquo connotatur, defectum, ac mutationem. Ita Theophilus Rainaudus in disciplina morali distinct. 4. quæst. 1. art. 2. num. 20. Caterum hæc sententia in Met. confutanda à nobis est in simili, inter disputandum aduersus connotatores, hoc est eos, qui relationem prædicamentalem, ac physicam à fundamento separabilem, & tamen in eo præcisè sitam existimant: quorum certe opinionem conceptis, & expressis verbis supponit noster Theophilus vbi paulo supra.